

## VIII

tae laudes doceant; has tamen ipsas rerum periti, et in illius lectione assidui, numquam negabunt esse locupletissimas. De his nouissimus omnium ingeniosissime iudicauit *Marmontelius*, qui nunc inter Francogallos, egregius pariter et magister artis poeticae, et exemplum floret, in praefatione amplissima, quam nouae versionis Pharsalicorum *Lucani*, nuper a se editae, adiunxit.

Sed illi quoque medii inter Historiae poeticae et Heroici carminis ditionem consistunt, qui, cum res gestas principis, ducis, aut populi cuiusdam versibus extollendas sibi hac lege deposcant, ut nihil quod non omnino actum sit, memoriae hominum commendent, ceterum libertatem quandam in amplificanda et exornanda eorum fama retineant; tamen neque his finibus inhaerentes, poetico ingenio aliquanto plus tribuunt, nec prorsus a fictionibus abhorrent, a quibus narrationis veritas certiolem admirationem accipiat. Vnum ex hoc genere poetam produxisse satis fuerit *Boelaeum*, qui nobili illo carmine de transitu Rheni, a *Ludouici XIV.* copiis, ipso praesente, spectante, iubente, non praecedente, perfecto, non dubitauit Rhenum loquentem sistere, et conquerentes fluuii Nymphas. Tales sane mythici et fabularis argumenti ornatus, modice admisti, tolerari possunt aequis auribus, effuse autem se ingerentes, longius a natura historicae laudationis recedunt, quoad haec poetis permilla videtur.

Atque haec ipsa natura, quam adhuc illustrari, consulenda est, cum de legibus quaeritur, ad quas conformanda sit Historica Poesis. Nam si in vniuerso hoc genere id spectatur vnice, ut res in primis posteris memorandae, et poetarum dotibus dignae, candide et ad delectandum apte tradantur: primum quidem luculenta veritas et copia certa, ut in omni historia, colenda illi atque sectanda erit. Dicendum igitur est Poetae Historico de principe rerum gestarum auctore, neque manca illius imago proponenda est. Patefaciat bona ingenii  
et